

Zeitschrift: Museum Helveticum ad juvandas literas in publicos usus apertum
Herausgeber: Litteris Conradi Orellii et Soc.
Band: - (1749)
Heft: 13

Artikel: Eliae Bertrandi [...], tentamen philosophicum de cultu divino
Autor: Bertrand, Elie
DOI: <https://doi.org/10.5169/seals-394640>

Nutzungsbedingungen

Die ETH-Bibliothek ist die Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften auf E-Periodica. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Zeitschriften und ist nicht verantwortlich für deren Inhalte. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern beziehungsweise den externen Rechteinhabern. Das Veröffentlichen von Bildern in Print- und Online-Publikationen sowie auf Social Media-Kanälen oder Webseiten ist nur mit vorheriger Genehmigung der Rechteinhaber erlaubt. [Mehr erfahren](#)

Conditions d'utilisation

L'ETH Library est le fournisseur des revues numérisées. Elle ne détient aucun droit d'auteur sur les revues et n'est pas responsable de leur contenu. En règle générale, les droits sont détenus par les éditeurs ou les détenteurs de droits externes. La reproduction d'images dans des publications imprimées ou en ligne ainsi que sur des canaux de médias sociaux ou des sites web n'est autorisée qu'avec l'accord préalable des détenteurs des droits. [En savoir plus](#)

Terms of use

The ETH Library is the provider of the digitised journals. It does not own any copyrights to the journals and is not responsible for their content. The rights usually lie with the publishers or the external rights holders. Publishing images in print and online publications, as well as on social media channels or websites, is only permitted with the prior consent of the rights holders. [Find out more](#)

Download PDF: 27.04.2026

ETH-Bibliothek Zürich, E-Periodica, <https://www.e-periodica.ch>

ELIÆ BERTRANDI

Eccles. Gallic. Bernensis Pastoris,

TENTAMEN PHILOSOPHICUM

De

CULTU DIVINO.

PARS I.

PLura de Deo colendo attente perlegi, pauca mihi satisfecerunt. Observationes meas qualescunque, ut potero, proponam. Nec tamen, ut Pythius Apollo, certa ut sint, & fixa, quæ dixerò; sed probabilia conjectura sequens. Ad definitionem, principia, demonstrationes, & distributionem properans descendo.

§. I.

Mundus speculum est amplissimum, in quo summi Numinis perfectiones conspici queunt. *Quid esse potest tam apertum, tamque perspicuum, cum cœlum suspeximus, cœlestiaque contemplati sumus, quam esse aliquod Numen præstantissimæ mentis, quo hæc regantur.* Sic loquitur Lucilius apud Ciceronem de Natura Deorum, Lib. II. Cap. II. ab init. nec minus sapienter ipse Cicero Tuscul. disputation. Lib. I. Cap. XXVIII. & initio. Cap. XXIX.

Eo autem modo est constitutus homo rationalis, ut perfectiones illas optimi & maximi Creato-

ris perspicere possit, modo ratione legitime uti velit.

§. II.

Jam vero ex contemplatione hujus Universi, consideratione adhibita, oriuntur in mente ideæ, notiones, species, seu præcipuorum Dei attributorum repræsentationes atque formæ. Verum tales esse decet illas notiones, ut includant quidquid Creatori summo competit; scilicet ei tribuendo omnes, quæ in eo simul inesse possunt, perfectiones; atque, removendo quicquid imperfectionem involvit, aut quæ minus inter se coherent. Concipimus itaque Deum esse potentissimum, summe excelsum, omnipræsentem, immutabilem, æternum, benignissimum; sapientissimum &c.

Hæ autem ideæ necessario, & ex ipsa hominis natura, excitant in animo motus, sensus, sive affectus, qui illis ipsis ideis respondent conveniuntque. Sed tales esse decet illos mentis affectus, ut præcise intellectus notionibus respondeant vel convenient. Notioni, exempli causa, Entis benignissimi convenit summus amor, & animus gratus; Entis potentissimi ideam sequitur sensus timoris; Entis sapientissimi speciem excipit fiducia, acquiescentiaque; formæ Entis summe excelsi convenit reverentia, atque summa animi demissio; insita in mente omnipræsentiae informatio perpetuam ubivis venerationem, nulli adstrictam loco ingenerat; idea denique æternitatis & immutabilitatis omnes illos affectus conservat omni tempore, sustinet alitque.

Porro

Porro quemcunque actum mentis ideis & animi affectibus convenientem vocamus *Cultum*: Cultus idcirco actus erit quicunque externus, ex motivo idearum & affectuum de Deo conceptorum susceptus; & Deum *colere* dicemur, cum aliquid agemus, mediante corpore, ad exprimendas, declarandas, patefaciendasve animi notiones, & affectus, quos divinarum perfectionum cognitio in nobis excitavit. Verba; corporis gestus, & actiones sunt in universon testimonia, seu declarationes mentis conceptuum; Cultus vero est specialis declaratio nostrorum de Deo conceptuum. *Verbis* itaque, & *Sacris* absolvitur cultus: Verbis, nempe, precibus, laudibus, gratiarum actionibus, religionis confessione, jurejurando; Sacris, nimirum gestibus variis, ritibus sacris, nec non generalius, virtutum praxi, vitiorumque fuga, ex motivo divinarum perfectionum.

§. IV.

Hinc perspicuum est i. Cultum divinum oriri, & nexu necessario connecti cum supremi Numinis cognitione; quod & ipse Lucilius, jam laudatus, agnovit, *itaque*, inquit ille, *& in nostro populo, & in ceteris Deorum cultus religionumque sanctitates existunt in dies majores atque meliores* apud Cicer. de Nat. Deor. Lib. II. Cap. II. Ipse Cicero *majorum instituta tueri Sacris caeremoniisque retinendis sapientis est: & esse praestantem aliquam aeternamque naturam, & eam suspiciendam admirandamque hominum generi, pulchritudo mundi, ordoque rerum caelestium cogit confiteri.* De divinat. Lib. II. Cap. LXXII.

2. Genuinus ergo verusque cultus est, *quo Deum semper pura, integra, incorrupta & mente & voce veneramur.* Id. ibid. Cap. XXVIII. Nullusque ei esse gratus potest nisi qui est sinceri cordis declaratio naturalis: *In specie fictæ simulationis sicut reliquæ virtutes, ita pietas inesse non potest; cum qua simul & sanctitatem, & religionem tolli necesse est.* Ibid. Lib. I. Cap. II.

3. Inde patet iterum distinctionem inter Cultum *externum, & internum*, apud omnes fere Philosophos obviam, parum esse accuratam; nisi per *internum* intelligantur intellectus notiones, animorumque affectus, ex quibus fluunt actus *externi*, quibus motus *interni* declarantur, constituuntque Cultum proprie sic dictum. Quicumque enim colit, agit; quod peragitur signis, verbis, gestibus, fit *externe*. Non tamen negaverim Cultum in *patentem, & latentem, in privatam & publicam*, respectu ad ceteros homines habito, dispesci posse. Sed cultus in se spectatus est semper *externus, aut externe peragitur.*

4. Ex dictis liquet, Dei cognitionem non esse Cultus divini partem, ut plurimi dixerunt; Cognitio quippe, & affectus inde promanantes, est requisitum principium seu propædeuticum ad Cultum. Neque minus ideo planum est, amorem, reverentiam, (internos nempe motus) fiduciam, & quæ hinc manat, acquiescentiam in Dei voluntate collocandam (si hac voce animi status designetur) hos, inquam, omnes mentis affectus *internos, inter Cultus partes sive officia non esse,*

esse adscribendos , ut nonnullis placet , quibus astipulari non possumus.

§. V.

Quidquid sit , ut distinctius Cultus natura innotescat , distribuere lubet in *verum* , *falsum* & *pravum*. *Verus* ille est , qui apprime ideis & affectibus , quos de vero Deo habere debemus et possumus , respondet , & quo hæc simplicius & distinctius declarantur. Vid. Cicer. de Nat. Deor. Libr. II. Cap. XXVIII. integro.

Falsus est eorum cultus , qui non habent in mente ideas informatas , & in corde affectus insitos , quos actibus externis significare videntur. *Pravus* tandem est cultus , qui tali modo peragitur , ut supponat in animis opiniones de Deo pravas & falsas , erroresque turbulentos aut aniles , affectusque his ideis convenientes , sed divinis attributis plane indignos. Vere igitur Deum colit *religiosus* ; *false hypocrita* ; *prave supersticiosus*.

§. VI.

Nunc divini Cultus necessitas , ex lege naturali , demonstranda venit : Quod ut distinctius fiat sequentes positiones habeto.

I. *Lege naturali obligati sumus ad veram , certamque divini Numinis cognitionem acquirendum.*

Enimvero cum in hujus mundi creatione suarum perfectionum , & præprimis suæ bonitatis manifestationem , communicationemque , intenderit Deus ; hic vero finis rationales involvat creaturas ; sequitur manifesto creaturas , rationis par-

ticipes, in quarum gratiam sese manifestare voluit, ut ab iis agnosceretur, ad illas perfectiones attendere debere, ut divini Numinis cognitionem adipiscantur.

Hæc autem cognitio *vera* esse debet; alias Deum pro tali Numine non haberent, quale revera & in se est. *Certa* esse debet, nam incerta, & cum metu errandi conjuncta, non esset Dei fini conveniens, minus nimirum apta ad perfectiones ejus distincte manifestandas.

2. *Eo est constitutus modo rationalis homo, ut distinctæ in animo formæ ingenerent affectus seu motus, cum illis insitis informationibus indivulso nexu conjunctos.*

Experientia quippe constat animæ affectus sequi intellectus judicium, nosque habere pro Ente quocunque sensus affectusve, quibus illud dignum judicamus; quemadmodum voluntas sequitur intellectus repræsentationes seu motiva, ita & notiones excipiunt affectus congruos.

Verum ut res distinctius patescat, analysim quorundam affectuum, qui ex cognitione perfectionum divinarum necessario fluunt, atque sunt Cultus divini principia, fundamentave, amoris nimirum, reverentiæ, fiducia, acquiescentiæ, & auxiliorum desiderii, tentare haud pigebit.

Indissolubili, necessarioque nexu copulatur *Amor* cum cognitione distincta characterum Entis summo amore digni: Atqui nobis repræsentat vera Dei in animis informatio ut perfectissimum, præsertim ut benignissimum, ad benefaciendum maxime pronum, promptumque, omnis boni fontem

fontem uberrimum : Igitur Dei cognitionem sequitur necessario amor.

Sollicite cavemus quæ displicent ei, quem diligimus : Sollicitudo hæc, qua cavemus ne quicquam quod Deo sanctissimo displicet perpetremus, aut quod placet omittamus, dicitur *Reverentia*, sive *Timor*, isque *filialis* : Itaque ex cognitione Dei sanctitatis, conjuncta cum ipsius amore, fluit reverentia.

Cum Deus humanis provideat rebus, omniumque creaturarum rationibus optime consultum velit, non potest ex hac cognitione non oriri *Spes*, eaque firma, Deum ita omnia administraturum, ut nihil quod ad veram felicitatem acquirendam pertinet, nobis deesse possit. Idcirco ex cognitione divinæ providentiæ, qua benignissime atque sapientissime sua potentia omnia conservat, regiturque *Fiducia* oritur in Deo ponenda.

Fiduciam hancce sequitur eadem ratione modoque in divina voluntate *Acquiescentia* ; qua scilicet moderate & patienter quicquid nobis accidit ferre docemur, quæ fluit ex cognitione, nihil in hoc Universo evenire, quod non sit ab Ente optimo & sapientissimo prævisum, atque ordinatum.

Ex eadem iterum benignitatis, sapientiæ & potentiae divinæ certa cognitione, cum intimo vitæ necessitatum, inopiæ, & imbecillitatis nostræ sensu juncta oritur auxilii divini, ad omnia abunde sufficientis, *desiderium* ; illudque eo intensius, quo magis ejus suppetiis vel subsidio indigemus.

Hi sunt varii affectus, qui, tanquam Cultus divini partes a scientiæ moralis Scriptoribus pro-

ponuntur ; cum autem ex vera Dei cognitione manent , & in cordis recessibus sedem habeant , ut requisita ad Cultum , seu motiva melius considerari debent , donec cultus actibus externe declarentur.

3. Haftenus de ideis & affectibus , ulterius nunc pergentes asserimus , *quemque lege naturali obligari ad Dei perfectiones ceteris manifestandum.*

Deus quippe hunc ideo mundum condidit ut perfectiones suæ manifestentur : Vult itaque ut perfectiones patefiant : Voluntas divina est ipsa naturæ lex suprema. Patefieri non possunt divinæ perfectiones nisi ab Ente rationali. Lex igitur naturæ exigit ut divinæ perfectiones ab Ente rationis particeps manifestentur , ut magis , magisque illustretur Dei gloria : Quod fit aut majorem divinis perfectionibus cumulum adjiciendo , aut eas magis hominibus manifestando. Prius esse nequit , cum Numen supremum per se , & ab æterno , sit perfectissimum & immutabile : relinquitur ergo , ut illustratio Gloriæ Dei , manifestatione & celebratione illarum perfectionum ab Entibus rationalibus , sibi invicem facta , contineatur.

Ex his autem positionibus conficitur , *homines obligari naturali lege ad Deum colendum.*

Cum enim astringamur ad veram certamque divini Numinis cognitionem acquirendam (pos. I.) ; atque animi affectus semper intellectus judicium sequantur (pos. II.) ; nec non obligemur ad Dei perfectiones nobis cognitæ aliis manifestandas (pos. III.) hinc manifesto fluit homines debere veras , quas de Deo vero notiones habeant , atque genuinos ,

nuinos, qui inde, profluunt affectus, in mente conceptos, aliis declarare: Verum illud est Deum colere: Cujusque igitur est hominis Deum colere, scilicet, per suas actiones, verba, gestus, declarare palam se, pro tali Numine, quale revera est, Deum habere, pro Ente benignissimo, sapientissimo, omniscio, potentissimo, immenso, multa uno verbo, perfectissimo.

Ne quid adhuc obscuritatis in hac de Cultus divini necessitate disputatione superfit, quædam subjungere lubet, ut vero Dei cultu ipsius gloriam illustrari manifestius fiat. Per totum hujus mundi contextum illustrari Dei Gloriam nemo inficias ibit, quoniam in eo tanquam in patentissimo theatro nobis divinæ bonitatis, potentiæ, sapientiæque magnitudo, & ubertas conspicua sistitur. Cum vero quis perjurium, verbi gratia, committit, eum Dei Gloriam obscurare dicimus, quia suo declarat actu, suisque verbis, aut eum non habere pro justissimo Numine & omniscio, aut parum eas perfectiones se curare. Qui contra preces ideo nuncupat Deo, quia eum & ob benignitatem inexhaustam velle, & ob potentiam illimitatam posse sibi auxilium præstare, persuasum habet, hic Dei perfectiones illustrare dicitur, vereque illustrat, & suarum idearum atque affectuum declaratione vere Deum colit.

§. VII.

Hæc de Cultus necessitate dicta sufficiant, nunc de ejus partibus aliquid superaddendum; in his brevior ero, quæ quidem ex præstructis facili nexu connectuntur, hincque deduci possunt.

Præ.

Præcipuæ cultus divini partes sunt, *preces*, *laudes*, *gratiarum actiones*, *jusjurandum* solemne, *varii gestus* animi demissionem testantes, *ceremoniæ* significativæ vel præteritos vel futuros eventus representantes: Ad hæc autem omnia publice riteque exhibenda, celebranda *loca*, *tempora*, & *personæ* constituentur ex omnium consensu necesse est. Non de omnibus, sed tantum de nonnullis pauca disputabo.

I. Et primum de *Precibus*. Si ad Deum respiciamus, preces primo intuitu necessariæ non videntur, qui quippe cordis latebras scrutetur, & opem qua indigemus optime noscat; At si ad relationes, quas cum Creatore benefico, Dominoque supremo, & Conservatore perpetuo, habemus, attendere velimus, necessarias esse preces nemo sanus negabit: Sunt quippe *hominum homagium*, aut clientelæ professio ei debita: Sunt testimonia reverentiæ & declarationes dependentiæ, quæ a Creatura rationis particeps, loquendi & agendi capaci, reddi debent ei, qui eos tali constituit modo. Ob nexum præterea corporis & animi arctissimum auxilii divini desiderium verba committentur necesse est: Quod testatur ipsa experientia, naturaque hominis. Nam in eminenti periculo constituti, vel inviti, quanta maxima fieri potest vociferatione, divini auxilii desiderium manifestum reddimus. Verbis autem desiderium illud significantibus declaramus nos Deum habere pro Ente benefico, potenti, atque sapienti, quod possit, velitque nobis miseris, vel egentibus optulari. His insuper verbis impeditur, quominus phantasia & sensus mentem nimium turbent, quod

quod plerumque evenit in mentis meditationibus. Dum verba nostra audimus, ad eaque attendimus, fit ut aliarum rerum sensibus obversantium minus nobis simus conscii. Precibus tandem, & gestibus demissis, ceteri impelluntur homines ad simile Deo homagium, similemque cultum exhibendum, nec non ad acquirendas de ejus perfectionibus ideas, quas iis ritibus nos habere significamus.

2. Cum ad cognoscendas, aliisque manifestandas Dei perfectiones teneamur, hinc inferre licet, nos etiam ad Deum laudandum obligatos esse; cum *laus* nil aliud sit quam divinarum virtutum congrua celebratio.

3. Beneficia a Deo in nos cumulate collata requirunt eorum contemplationem, vividum sensum, & in memoria sedulam conservationem: Cum autem ceteris divinas perfectiones patefacere astringamur, atque ex immensa Dei erga nos benignitate profluant beneficia illa, consequitur nos debere *gratum* erga benefactorem animum declarare, ut aliis ejus benignitas fiat magis nota.

4. *Jurejurando* in veri Dei nomine sancte suscepto declaramus quoque, nos Deum habere pro cordium scrutatore omniscio, perjurii vindice sanctissimo, potentissimoque. Per jusjurandum falforum Deorum cultores Entis, in cujus nomine jurabant, Deitatem agnovisse, abunde testantur varia Scriptorum testimonia. Videre in hanc rem licet Horat. Epist. Lib. II. Epist. I. v. 16. Lucan. Pharsal. Lib. VII. v. 458. & Stat. Theba. Lib. VII. v. 102. Actus autem quicumque, quo veras,
 quas

quas de Deo vero conceptas habemus ideas , affectusque declaramus , ad ejus Cultum est referendos ; manifestum ideo fit jusjurandum ad cultum pertinere , nosque per eum solum jurare debere.

Plura nunc possem commentari de *gestibus* , qui sunt vel *necessarii* , ex convenientia decentiaque naturali manantes , vel *arbitrarii* ex hominum moribus , arbitrioque pendentes ; de variis *ceremoniarum* speciebus , & singularum necessitate ; de constitutione *locorum* , *temporum* , & *personarum* , ad cultum sociale pertinentium , necessaria. Sed mitto hæc , ut quæ ex ante edictis , & rei natura , sed præsertim ex ipsa Cultus definitione , rite concepta , haud difficili opera deduci queunt.

§. VIII.

Verbum addam de vitiis , quæ in Cultu adhibendo possunt admitti , quoniam eorum definitiones , quæ vulgo usurpantur , distinctæ propositæ mihi non visæ sunt. Præcipua sunt *Idololatria* & *superstitio*.

I. *Idololatria* , latius quam etymon indicat sumpta , eorum est crimen , qui fictitiis Entibus , vel creaturis existentibus , aut quæ extiterunt , summos exhibent honores , soli Deo reservandos , quasi illa Entia reapse perfectiones possiderent divinas , iisque deberentur affectus illi , qui Numini perfecto conveniunt.

Triplex igitur distingui potest idololatria. Vel verus Deus cum Entibus illis seu fictitiis , sive creatis una colitur ; cujus criminis Judæi sæpe argui potuerunt : Vel mediantibus illis vero Deo cultus refertur :

refertur : Vel tandem coluntur illa Entia unice,
cultu veri Dei penitus omisso.

2. Contractæ nimis, aut confusæ mihi videntur *Superstitionis* definitiones traditæ. Priori vitio laborare mihi videtur quam tradit Theophrastus, eximius cæteroquin morum descriptor, Ἀμέλει ἢ Δεισιδαιμονία εἶναι δειλία πρὸς τὸ δαιμόνιον, *meticulosum*, definit, *erga Numen affectum*. Ethic. Charact. Cap. XVI. ab. initio. Posterioris generis hæc J. Hoornbeckii, Theol. pract. T. II. p. 233, quam tamen Vir maxima laude dignus, J. G. Altmanus, in Academia Bernensi Professor celeberrimus, suo approbare calculo videtur, Position. Ethic. Particul. XV. p. 458; *Superstitiosus*, inquit ille, *cultum defert non Deo, vel Deo etiam alium, quam sibi deferri cupit*. Nec melius Buddeus, alique; pace tantorum virorum, alioqui longe supra me positorum, dicere liceat. De prima priscae superstitionis origine legi potest Cicero de Nat. Deorum Lib. II. Cap. XXVIII. sub fin.

Superstitio considerari potest vel respectu ad *Deum* habito, vel ad *creatas res*, & pro suo objecto diversimode definiri debet.

Cum ad *Numen* spectat, est actus quicumque, quo ideas affectusque de Deo nos habere declaramus ejus nomine indignos. Oritur ergo ex ignorantia vel errore circa perfectiones summi Numinis, & ex pravis inde manantibus affectibus. Itaque ille est *superstitiosus*, qui Deo humanas victimas offert, quasi eum esset cruentis illis horrendisque sacrificiis placaturus; nec non qui precessionum formulas absque attentione recitat, quasi verbis Psyttaeorum more prolatis propitius reddi posset.

Cum

Cum ad res *creatas* spectat superstitio, iterum duplicis est generis.

Prioris generis actus est quicumque, quo illis aliquis exhibetur cultus, non summus quidem, sed talis, ut ipsis perfectiones aut realitates, quas Deus illis dedisse nullam credendi rationem habere possumus, tribuere videamur. Hujus exempla cuivis sunt obvia.

Posterioris generis superstitio continet actum quemcunque, quo, nullo licet cultu adhibito, attribuere videmur illis potentiam efficaciamve, qua non pollent: Ut qui talismatibus, quæ gestunt, vel annulis totis aureis, ferreis veluti stellis ferruminatis, quibus, sicut Trimalcio, de quo Petronius, utuntur, maximam tribuunt virtutem. Eorum omnium videri possunt exempla apud Theophrastum loco citato, & Ciceronem de Divinatione Lib. II, Cap. LXXII. *Quamobrem, concludit hicce Philosophus, ut religio propaganda etiam est, quæ est juncta cum cognitione naturæ, seu Numinis, sic superstitionis stirpes omnes elidendæ.*

Jam vero superstitio hæc est vel *crassa* vel *subtilis*; crassa tum dici potest, cum rationes habemus sufficientes, creaturis qualitates illas denegandi; subtilis, & ideo comunissima, inter ipsos, qui Philosophi haberi volunt, cum quidem nullas habemus rationes denegandi eas qualitates, sed nullas prorsus attribuendi. Eorum omnium, brevitati studentes, exempla, consulto omittimus.

PARS POSTERIOR.

Cum de Deo colendo commentabar, incidi in recens scriptum, Parisiis primo impressum, ter Lausannæ brevissimo tempore recusum, sub titulo LES MOEURS, in quo, Parte I. Cap. III. §. I. & II. hanc inveni materiam leviter pertractatam, variisque, ut quidem mihi visum est, erroribus commixtam, atque caligine offusam. Ut autem veritas novis argumentis suffulta maneat inconcussa, animum ad auctoris illius anonymi ratiocinia adverti, measque qualescunque animadversiones heic subjungere non supervacaneum fore duxi, quamvis jam audiverim Virum in Academia Genevensi celeberrimum Professore *Verne-*
tum, ad hunc librum refutandum se accingere.

§. I.

Deducit auctor anonymus p. 52. & 53. divini Cultus necessitatem ex summo Numinis in creaturas dominio. Reverentiam in corde quantam maximam excitare debere hancce de Deo ideam fateor, at præter illam, alias in mente ideas, aliosque in corde affectus supponere cultum ei debitum supra demonstratum est. Non mirum itaque, si, missis veri cultus genuinis fundamentis, in falsas delapsus sit conclusiones. *Le Culte*, inquit, p. 54. *intérieur est d'obligation, l'extérieur est de bienveillance. Celui la est invariable, celui-ci dépend de mœurs & des tems.* Duo heic observanda veniunt.

I. Sibi constare non videtur Anonymus cum pag. 60. §. I. cultus externi necessitatem probaturus,
Tom. IV. D turus,

turus, ex utilitate, quam ex pietatis meæ demonstratione alter percipere potest, deducit: sufficiens enim esset hæc ratio, seu idoneum fundamentum obligationis strictæ ad Deum externe colendum.

2. Non video præterea oppositionem quam percipere videtur inter *obligationem* & *decentiam*. Obligamur quippe ad id omne quod decet, vel quod est decorum. Nam illud nos obligat, quod nos impellit aliquo motivo ad actiones ad normam quamcunque componendas. Obligationem definit Celeberrimus Wolffius per *connexionem motivorum cum actionibus vel committendis, vel omittendis*. Atqui quod actio sit decora sufficiens motivum esse debet, ut Ens rationis compos eam semper præstet. In omnibus & semper *decorum esse servandum* recte docet Cicero. Cum autem quæ nos ad Deum externe colendum exstimulant motiva, sint & numero plura, & validissima, sequitur Dei colendi verbis & factis obligationem esse longe arctissimam.

§. II.

Si pedem longius proferimus auctorem iterum secum pugnantem tenebimus. Virtutem regnare inter homines utile esse, nec non pietatem erga Deum esse virtutem, cum bonis omnibus fatetur. *Haud scio*, inquit in hanc rem Cicero, *an pietate adversus Deos sublata, fides etiam, & societas humani generis, & una excellentissima virtus justitia tollatur*. De Legib. Lib. I. Cap. VII. Exemplo in aliorum mentibus excitari posse pietatem agnoscit quoque Anonymus; & hinc cultus necessitatem adstrui posse

posse contendit. Sed ulterius infert inutiles, superfluasque esse exercitationes, seu actus constitutos & periodicos, p. 61. Quid hoc sit nescio, nisi repugnantia loqui. Enimvero, posita cultus externi necessitate qualicunque, nonne ideo est necesse, ut quid de modo, tempore, loco, personis constitutum inter Cives sit. Alioquin quomodo testis esse potero assiduus actuum, quibus ceteri animum gratum vel demissum adversus benefactorem optimum, Dominumque summum declarabunt? An qui est Deum invocaturus, aut propter beneficia & majestatem laudaturus, me in museum admittere tenebitur, ut suæ pietatis testimonia percipere possim? Aut potius, an animi ejus motus internos cernere aut animadvertere potero, nisi eos externe, coram me, verbis & factis manifestet.

§. III.

Quod sermone tecto & circuitione animis instillare aggressus erat paulo apertius detegit, nec dissimulanter innuens, Deum susque deque habere qualicunque modo colatur, pag. 61. Et hic denuo secum pugnat cum, pag. 62. dicit: *S'il est un choix à faire, c'est de préférer entre les signes arbitraires les plus clairs & les plus intelligibles.* In cultu quocunque esse signa quædam arbitraria non negaverim: Sed quæ essentiam illius constituent signa necessaria esse contendo: Illa mutationes subire possunt: hæc ubivis, semper, & ab omnibus ut immutabilia sunt usurpanda.

Ut facilius hujus propositionis veritas pateat, videamus quid per *signum arbitrarium*, & quid per *signum necessarium* intelligendum sit.

Signum id est, cujus idea alterius ideam excitare valet: Id autem cujus idea excitatur *signatum* nuncupatur. Signum vero est *necessarium*, inter quod & rem significatam, seu signatum, nexus interest necessarius. Signum est *arbitrarium*, quod cum re significata non necessario nexu cohæret, sed ex hominum arbitrio dependet.

In cultu Signa dici possunt *demonstrativa* quæ significant ideas rerum præsentium, *memorativa* quæ præteritarum. Illius generis sunt omnes actus, quibus amorem reverentiamque nostram testamur, ut preces & perfectionum divinarum laudationes; hujus generis actus, quibus gratum animum declaramus, ut Festa & Ceremoniæ eucharisticæ.

Signa igitur necessaria, & demonstrativa & memorativa, *fixa* sunt, atque *determinata*, quibus invariata respondet notio; ita & preces & laudes sunt signa necessaria, quibus ideas, affectusque in mente informatos initosque habemus de Bonitate, Sapientia atque Potentia Dei, nostramque dependentiam demonstramus: Temporis & loci cujuscunque determinatio inter cultus necessarias circumstantias est reponenda; sed talis aut talis potius loci vel temporis constitutio est arbitraria; modo tamen locus sit conveniens, tempusque constitutum omnibus notum. Signa vero arbitraria, tum demonstrativa cum memorativa, *vaga* sunt, & *indeterminata*, quibus non constans notio invariata respondet; ita genuflexio, capitis denudatio vel oblectio, manuum elevatio vel junctio, corporis prostratio, gestusque quicunque, nec non ipsa, qua utimur lingua, modo

do adstantibus sit nota. Sicut autem in Stilo Philosophico voces indeterminatæ sunt vitandæ, ita Philosophum sancte religiosum decet non adhibere absque necessitate in cultu divino signa indeterminata: & inter ipsa eligenda esse quæ magis claræ mentis ideas cordisque affectus exprimunt; circa quæ Deum esse *indifferentem*, nisi aliquod adsit mandatum positivum, lubenter concedimus. Ita & ipse Moses de circumstantiis Cultus arbitrariis ratiocinabatur. *Ne facitote, inquit, quemadmodum nos hic hodie facimus, quod cuique libet: Etenim nondum pervenistis in requiem, atque hæreditatem, quam vobis Deus vester Jova daturus est. Quum autem trajecto Jordane confederitis in terra, cujus in hæreditatem Jova Deus vester vos immittet, ejusque beneficio ab omnibus vestris finitimis hostibus quieti in tuto ageris, quem locum contigerit a Jova Deo vestro electum esse, ut ibi suum nomen constituat, eo fertote omnia quæ vobis præcipio, videlicet vestras hostias, sacrificia, decimas, quæ donaria secreveritis, & votorum vestrorum lecta omnia, quæ Jovæ voveritis.* Deut. XII. 8-11. & 4-7. Cum autem signa necessaria ex ipsius rei natura pendeant delectus indifferens esse nequit, aut potius nullus est amplius delectus.

Verus idcirco Cultus a moribus atque temporibus nullo modo pendet: Cultus equidem a Deo Judæis præscriptus, ad eorum mores, indolemque erat accommodatus, ex temporibus quodammodo pendens, & propterea mutabilis: Sed Cultus naturalis, vel lege naturæ præscriptus, ex ipsius hominis constitutione dependens, nec non ex ipsis quas cum Creatore perfectissimo habet relationes, imutabilis est, atque necessarius: Ita

ut quod de motibus internis dicit Anonymus de vero Cultu affirmari liceat, *il est unique, il fut d'obligation dans tous les tems, il l'est dans tous les lieux, & par une consequence necessaire il est connu de tous les hommes*; pag. 62. nisi ab omnibus cognitus, ab omnibus saltem cognosci potest.

§. IV.

Hisce principiis & distinctionibus quæstio dirimitur ab auctore p. 61. sub fin. proposita, *parmi ses signes destinés a repandre l'esprit de pieté dans les cœurs en est il quelquesuns que Dieu affectione singulièrement?* Sunt equidem, quæ Deo sunt magis grata, quibus tangitur & movetur, tum in statu *naturæ*, cum in statu *religionis*; æquivoca quippe est quæstio. In *religionis* statu ea quæ Deus constituit jussitque sola amplectitur, & gratiose excipit. *Quicquid ego vobis præcipio curatote, ut id faciatis, neque quicquam huic vel addatis, vel detrahatis* Deut. XII. 32. Verum in *naturæ* statu actus solum Deo grati esse possunt, qui ideis affectibusque, quos de perfectissimo Numine habere debemus, respondent conveniuntque; & actus qui melius simplicius & distinctius ideas affectusque congruos patefaciunt quin gratiose accipiat haud dubitamus.

§. V.

Unicam adhuc Anonymi propositionem ad examen revocabo, quæ pag. 65. media legitur. *Un homme qui vivoit seul sur la terre seroit dispensé du culte extérieur*: Hujus assertionis rationem subjungit; *Ce n'est point par rapport a Dieu qu'il a été institué, il la été pour unir les membres de la société par la profession ouverte*

ouverte d'une seule & même Religion. Plura hic animadvertenda esse censemus.

1. Aequivocationem in verbis latere, qui velit attendere, facile percipiet, quam ut tollamus, Cultum in *privatum & socialem* distinguere necesse ducimus: Quem unusquisque pro se suscipere tenetur, *privatum* dicimus; *socialem* vero, qui, conjunctis pluribus, ad communem felicitatem promovendam, ex pacto instituitur. Si de Cultu privato loqui velit Auctor, hominem in terra solitarie viventem a Dei colendi lege propterea esse solutum indubitanter nego: Si de Cultu sociali, hominem solitarium a colendo Deo in societate esse exemptum lubenter concedo: Priori igitur sensu falsa erit propositio, posteriori identica.

2. Omisissis præterea ceteris rationibus necessariæ Cultus Divini institutionis unicam admittit; sunt tamen quæ Deum, quæ nosmet ipsos, quæ alios homines respiciunt, eæque non sejungendæ, sed simul considerandæ.

3. Quæ proximum spectant variæ sunt. Pietatis nostræ consideratione excitatur proximus ad imitationem: Cujusque autem est officii ceterorum utilitatem sedulo perquirere. Nec minus obligamur ad societatis statum perfectiorem reddendum. Quo plus in ea viget pietas fervetque, quo plures sunt qui Numen sanctius colunt, perfectior profecto evadit: Atqui nemo est qui suo exemplo ad id conducere non possit; debet igitur. Hæc eleganter suffragio suo comprobatur Cicero, de Legibus Lib. II. Cap. VII. ab initio. Quo plus pietas adversus Deum sincera, & virtutes quæ cum

ea necessario connectuntur inter homines in societate civili viventes sunt communes, eo cujuscunque membri status est tutior atque beatior. Maximi igitur omnium individuorum interest eas fovere virtutes, & suo exemplo in aliorum mentibus excitare.

4. Sunt etiam rationes, & quidem validæ, quæ nos ipsos spectant, Cultus necessitatem adstruentes, ita ut si solus in terris essem, Deum nihilominus a me colendum esse crederem. Enimvero actus illi externi subsidia sunt & adjumenta, quibus mentis meæ motus conservarentur, excitarentur & alerentur; testante experientia de hoc dubitari nequit. Talis quippe est inter animam & corpus connexio, ut unius commotio in alterum transeat, mutua quasi sympathia, & præordinatione. Si pietatis motiones in animis accenduntur, mentis affectus corporis motus sequuntur necessario, nobisque vel invitis, & vice versa corpus in motu convenienti exstimulat animæ affectus; ita ut actus determinati sensus in mente analogos & correspondentes excitent.

5. Respectu tandem ad Deum unice habito ejus Cultus necessitas demonstrari potest. Cum animam atque corpus creaverit, sequitur hominem, quamvis solus in terris esset, hominii sive clientelæ professionem, animum gratum propter beneficia animæ & corpori communia, preces propter utriusque indigentiam, tum animo cum corpore Creatori optimo maximo debere. His etiam ductus rationibus Psaltes dicebat. *Agite veneremur supplices flexis ante Jovam Creatorem nostrum genibus.*

genibus. Ps. XCV. v. 6. & Apostolus Paulus Corinthios his verbis adhortabatur ad Deum colendum, *honorate Deum vestris corporibus & animis quæ Dei sunt*, I. ad Corinth. Cap. VI. v. 20. nec non Romanos, *quare cohortor vos Fratres, per Dei misericordiam ut præstetis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, acceptam Deo, qui vester sit Cultus RATIONALIS*, ad Rom. XII. v. 1. Hæc agnovit Epictetus, ut patet ex *Arriani commentariis*, Lib. I. Cap. VI. *Si sani essemus, quid aliud nobis agendum esset & publice & privatim, quam Numen laudandum, & celebrandum, & grates persolvendæ? Nonne & inter fodiendum & arandum & edendum hymnus hic cantandus esset Deo? Magnus est Deus, qui nobis hæc instrumenta præbuit, quibus terram colamus; Magnus est Deus, qui manus dederit, qui deglutiendi vim, qui ventrem, qui effecerit ut sensim crescamus, ut dormientes respiremus; hæc singulis diebus cantanda essent & hymnus maximus, & diviniissimus resonandus, quod facultatem dederit harum rerum intelligentem, & utendi ratione instructam. Quid ergo, cum vulgo excæcati sitis, nonne oportebat esse aliquem, qui hoc munere fungeretur, & loco omnium hymnum Deo publicaret. Nec multo post, ad illud officium speciatim esse formatos constitutosque homines expresse docet. Si Luscinia essem, Luscinia officio fungerer, si olor oloris. Nunc cum rationis sum particeps, Deus mihi celebrandus venit. Hoc meum est munus, hoc exequor, neque hanc stationem deseram, quoad licuerit, & vos ad eandem hanc cantilenam exhortor.*